

Pastor. p. p. claus. 10. Nidus de Conservator. cap. 8. partic. 6. num. 2. cum Passerino num. 130. et alii communiter. (20. In necessitate autem, quando partes non conveniunt in Arbitrorum electione, vel alias nequit per Arbitros concorditer controversia competentiae jurisdictionis terminari; eligendus est tertius Arbitrator, cum quo in certum breve tempus super jurisdictione controversiam terminare procurent; cap. *Suspicionis* 39. de offic. et potest. Judic. delegat. c. *cum Speciali* 41. de appellat. in 6. Et sic Cevall. tom. 4. q. 897. n. 777. Passerini. num. 244. Nid. loc. cit. n. 6. et alii passim. (21. Sic etiam si Conservator Regularium recusetur ut suspectus, prout recusari posse, etiam in notoriis probat textus in c. *Quod suspecti* 15. caus. 3. q. 5. ibi: « Et si manifesta sibi officiant crimina; » ubi Glossa, inquit, arg. *Quod in notorio crimine, etiam Judex recusat;* et cap. *Judex* 5. de offic. delegat. in 6. et tradit. Barb. l. c. num. 32. cum pluribus aliis; tunc ipse Conservator recusatus poterit partes compellere ad eligendos Arbitros; coram quibus causa recusationis probetur, et decidatur, assignabitque eisdem arbitris terminum competentem, intra quem causam recusationis determinant, compelletque ipsos Arbitros, ut advocent sibi tertium, si ipsi discordes fuerint, ut probatur in d. c. *Suspicionis*; c. *cum speciali*, et c. *Legitima* sub num. 20. cit.

(22. Conservatores Regularium non tenentur uti Notario Curiae Episcopalis, sed possunt assumere quemcumque Notarium sibi benevisum; Nidus loc. cit. cap. 10. particul. 1. num. 10. cum Passerini. n. 52. et Cespred. dub. 318. num. 12. ex Peyrino, quod est commune omnibus Delegatis, et sic etiam Card. de Luca de juris. disc. 4. num. 14. ubi post num. 2. refert decretum Sac. Congreg. Concilii emanatum in una Faventina 17. Decembr. 1667. (23. Conservatores Regularium possunt vices suas aliis committere, et in totum alium subdelegare, et substituere, Moneta de Conservatorib. cap. 7. n. 58. Nidus l. c. cap. 2. partic. 4. num. 2. et sequent. et cap. 11. particul. 1. num. 1. Miranda tom. 2. q. 47. art. 3. Tamburini. tom. 3. disp. 17. q. 1. num. 6. Lezana part. 2. cap. 10. n. 26. Confess. in summar. privileg. mendicant. tit. 4. cap. 7. Candid. Brugnot. tom. 4. c. 19. num. 13. Rodericus q. 65. art. 15. Sorbus in compend. verb. *Conservator*. Fagnan. in cap. *Si Clericus de for. competent.* num. 42. Bordon. resolut. 95. num. 9. Passerini. num. 78. Peyrini. n. 5. et alii contra Donatum, Antonell. et alios. (24. Et haec nostra conclusio habetur ex dict. Constitutione Gregorii XV. incip. *Sanctissimus* § 2. ubi expresse dicitur, « Conservatores hujusmodi sive principales, sive subrogati, » etc. et § 11. ubi innovat Constitutionem Bonifacii VIII. incip. *Hac Constitutione*, ibi: « Juxta formam alterius Constitutionis ejusdem Bonifacii Praedecessoris quae incipit: *Hac Constitutione*, quam Sanctitas sua in omnibus, quae praesenti Constitutioni non adversantur, innovavit, et

innovat; » In dicta autem Constitutione Bonifacii VIII. cap. *Hac Constitutio*. 15. de offic. deleg. in 6. habetur quod Conservatores subdelegare possint, si hoc sit eis ex beneficio literarum Apostolicarum concessum, ut patet ex verbis ipsis, quae adversarii pro se adducunt ibi: « Vices quoque suas (citationibus, sententiarum denunciationibus dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere) nulli alii committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneplacito literarum, » ubi nota haec ultima verba: *Atqui Regularium Conservatores privilegium istud subdelegandi habent a variis Summis Pontificibus, et signanter a S. Pio V. Constitutione incip. Ad hoc nos Deus*, ibi: « Discretionem vestrae per praesentes mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, etiamsi sint extra loca, in quibus estis deputati Conservatores et Judices, » et a Gregorio XV. d. Constit. incip. *Sanctissimus* per illa jam adducta verba: *Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati*; ergo stat clarum posse Conservatores Regularium etiam in totum subdelegare, vel alium substituere; non enim in d. Constitutione Bonifacii VIII. relata in cap. *Hac Constitutione* 15. de offic. delegat. in 6. cui tam fidunt adversarii, prohibetur absolute omnibus Conservatoribus subdelegatio, sed illis dumtaxat, qui subdelegandi privilegium non habent ex literis Apostolicis, inter quos non comprehenduntur Regularium Conservatores, qui tale privilegium habent ex variis Pontificis concessionibus, ut supra fuit ostensum.

(25. Subconservatores, seu subdelegati, et substituti Conservatoribus debent habere omnes qualitates ad Conservatores requisitas: c. *Hac Constitutione* 15. de offic. delegat. in 6. ibi: « Sed tunc, nisi intra Civitates, seu Dioeceses, in quibus fuerint deputati, et personis tantum, quae superius sunt expressae. » Et idem statuitur in d. Gregoriana incip. *Sanctissimus* § 2. ibi: « Statuit, et decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive Principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, » etc. Et sic tenent Ferosin. in c. *Si Clericus*, de foro comp. quaest. 12. n. 460. Fagnan., ib. n. 42. Moneta de Conservatorib. c. 7. n. 65. Tamburini. tom. 3. disp. 17. qu. 1. n. 6. Nidus, loc. cit. c. 11. partic. 1. n. 2. Lezana, n. 26. Peyrini. ad d. Constitut. Gregorii XV. n. 5. Passerini. n. 79. Candid. Brugnot., loc. cit., et alii. Et ratio est, quia subdelegatus debet esse ejusdem qualitatis, ac conditionis, cujus est delegatus, ac talis, cui possit delegari; cap. *Statutum* 11. § in nullo, de rescript. in 6. Glossa, in cap. *Hac Constitutione* 15. de offic. delegat. in 6. § *vices quoque*. Unde Conservatores non possunt vices suas committere in casibus, in quibus subdelegare possunt, nisi personis illis, quae in Conservatores eligi possent, et de quibus abunde fuit dictum articulo 1. a num. 6 usque ad num. 16. (26. Conservatores, qui aliis vices suas subdelegant,

possunt ab ipsis subdelegatis causam ad se advocare; dummodo tamen jurisdictio revocetur a subdelegatis, ante quam ipsi subdelegati jurisdictione eadem uti ceperint; c. *Quamvis* 6, de offic. delegat. in 6. Et dicuntur hac uti ceperint per solam citationem; Glossa, in dict. cap. *Quamvis* 6, de offic. delegat. in 6. Nidus, l. cit., cap. 11. particul. 1. num. 6. Moneta, loc. cit., cap. 10. n. 56. et alii. (27. Officium subdelegati, seu Subconservatoris expirat per mortem naturalem Conservatoris, l. *Et quia*, § *ideoque*, de jurisdict. omn. Judic. ubi generaliter dicitur, quod si is, qui mandavit jurisdictionem, decesserit, antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictio, geri ceperint, mandatum solvitur, et ratio est, quia jurisdictio non transit efficaciter in delegatum, aut subdelegatum, sed manet penes delegantem, vel subdelegantem; cap. *Quamvis* 7, de offic. delegat., in 6. Glossa, ib. verb. *efficaciter*. Nid., loc. cit., num. 11, et alii passim. (28. Et haec ratio locum habet etiam in morte civili, vel quia officium ipsius terminet per lapsum temporis praefixi, vel quia Conservator privatus sit tali officio, quia jurisdictio Subdelegati, seu Subconservatoris est accessoria, ideoque corrui corrueat principali; arg. cit., c. *Quamvis*, et Glossa, ib. Moneta, loc. cit., cap. 10. n. 26. Nid., loc. cit., num. 11 et 12, et alii. (29. Per excommunicationem autem, vel suspensionem Conservatoris, vel etiam ipsius subdelegati, vel subconservatoris, non expirat in Subdelegato, seu Subconservatore jurisdictio: sed solum suspenditur, donec Conservator, vel Subconservator absolvatur; Moneta, loc. cit., n. 384. Nid., loc. cit., n. 13, et alii.

(30. Notorius debitor Regularium coram eorum Conservatore conveniri potest; Moneta de Conservatorib., c. 7. n. 268. Portell., in dub. Regul. verb. *Conservator*; Rodericus, t. 1. q. 65, art. 12. Diana, in opere Coord., p. 19. tract. 2, resol. 270. Peyrini., ad Constitut. 5, Greg. XV, § 6, n. 50. Nid., de Conservator. c. 4, particul. 3, n. 1. Lezana, loc. cit., num. 63. Passerini., n. 123, et alii passim. (31. Et ratio est, quia debitor notorius solvere nolens Regularibus injuriam manifestam facit, injuria enim est omne damnum culpa illatum; l. prim. ff. de injur. et Conservatores Regularium sunt praecipue eis concessi ad ipsos defendendos a manifestis injuriis; cap. *Statuimus* 1, et cap. *Hac Constitutione* 15, de offic. delegat. in 6, et gaudent facultate defendendi Regulares a manifestis injuriis, et violentiis, quae illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, propriisque bonis frui, vel uti impediuntur, ex Decreto Sacrae Congreg. Concil. relato supra sub n. 2, adeoque possunt procedere contra notorios debitores Regularium. (32. Tunc autem esset debitum notorium, si debitor fateretur debitum, et negaret se solvere velle, vel si debitum per instrumentum, ac testes omni exceptione majores constaret, etiamsi a debitore negaretur; in praesenti enim injuria, nedum sustinetur pro contumelia, vel convitio, sed pro

omni eo, quod fit contra jus, et est in damnum Monasterii; Instit. de injur. in princip. et Canonistae communiter in d. c. *Statuimus*; quia omne illud dicitur injuria, quo jus alterius offenditur, nec fieri potest nisi injuste; Joan. de la Cruz, de stat. Rel. l. 2, c. 10, dub. 5, concl. 2. Diana, et Nid. l. c., et alii. (33. Quando Regulares sunt debitores Laicis, vel Clericis saecularibus, non possunt conveniri coram Ordinario, sed conveniendi sunt coram suo Superiore, vel Conservatore; Guttier., lib. 3, pract., c. 10. Ferosin., in c. *Si Clericus*, q. 12, n. 40, de foro compet. Bordon., resolut. 95, num. 20. Cevall., de commun. contra communes quaest. 897, n. 813. Passerini., num. 133. Nid., c. 4, partic. 4, n. 3, et alii. (34. Dispositio enim Constitutionis Innocentii V, incip. *Volentes*, editae in Generali Concilio Lugdunensi, et Conc. Trident. sess. 7, cap. 14, quae fundamentum praebere videtur opinantibus in contrarium, non comprehendit Regulares, ideoque juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus sunt conveniendi, ut testatur resolutum a Sacra Cong. Concilii. Aldrete in alleg. pro omnimoda Regul. exemptione, p. 1, c. 7, num. 2, et Barbosa, super Trident. sess. 7, cap. 14, n. 2, et de offic. et potest. Episcop., p. 3, alleg. 105. n. 23, his verbis: « Sac. Card. Congreg. Concil. Trident. interpretum declaravit, neque constitutione in Generali Lugdunensi edita, quae incipit *Volentes*, neque Decreto ejusdem Concilii sess. 7. de reform., c. 14, comprehendi Regulares, ideoque juxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conservatoribus esse conveniendos. » (35. Et sic Regulares pro contractibus, vel debitis, si intra Monasteria maneant, conveniendi sunt coram suis Superioribus, vel Conservatoribus, non autem coram Ordinariis, aut alibi. Ita fuisse decisum a Sacra Congregatione Concilii refert Narbona, leg. 59, gloss. 1, num. 230, tit. 4, l. 2. Recopilat. et Barbosa, super Trident. sess. 7. cap. 14, num. 2. Ordinariis enim conceditur jurisdictio conveniendi coram se Regulares solum quando ipsi Regulares Judicem Conservatorem non habent; ut in poenam post Gregor. XIII, statuit Gregorius XV. Constitutione incip. *Sanctissimus* § 7, contra ipsos Regulares, qui Conservatorem non elegerunt, ut coram Ordinariis conveniri debeant; et censuit Sacra particularis Congregatio deputata ab Innocentio X. 16 Aprilis 1648, ad sextum dubium, conceptum his verbis: Sexto: An Regulares praedicti gravati aere alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario praescriptum? « Respondit: Regulares in Causis praefatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad praescriptum Constitut. San. mem. Greg. Conservatores non elegerint, ipsaque electionis documentum intra praefinitum tempus in actis Curiae ipsius Ordinarii non exhibuerint, » et confirmavit ipse Innocentius X. 14 Maii 1648. Constitut. incip. *Cum sicut accepimus*.

(36. Conservatores Regularium cognoscere possunt de injuriis factis servis, familiaribus, Syndicis, et Procuratoribus ipsorum, in quantum talibus reduplicative; ut colligitur ex variis Constitutionibus Pontificiis pro concessione Conservatorum Regularium editis, et signanter ex Constitut. S. Pii V, incip. *Ad hoc nos Deus*, in qua concessit Conservatoribus a Dominicanis electis, ut possint procedere «adversus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus servitoribus, et familiaribus in præmissis, et eorumdem aliquo molestias, injurias, gravamina,» etc., quæ concessio si intelligatur de injuriis, ac violentiis manifestis, non videtur sublata per d. Gregorianam incip. *Sanctissimus*; non enim adduci potest Clausula aliqua d. Gregorianæ derogatoria Piani privilegii, ut eam legenti patet; Item ex constitutione Clementis VII, incip. *Dum consideramus*, pro Minoribus de Observantia edita, ubi sic præcise statuit: «Ut in quibusvis causis, et rebus ipsos Syndicum et Procuratores concernentibus, civilibus, criminalibus, et mixtis, nonnisi coram Judicibus Conservatoribus Domorum illarum, quarum ipse Syndicus, et Procurator fuerit, de justitia respondere teneatur.» Quæ constitutio Clement. VII, quantum ad Syndicos, et Procuratores, una cum variis S. C. C. decretis fuit confirmata ab Innoc. XI, 19 Junii 1686, Constitut. incip. *Alias pro parte*. Et sic tenent Passerin., in cap. *Hac Constitutione* 13, de offic. delegat. in 6, num. 177. Roderic. tom. 1, q. 63, art. 17 et tom. 3, q. 39, art. 4. Portell., in verb. *Syndicus*, num. 5. Casarub., in compend. privileg. verb. *Procuratores Fratrum*, n. 13. Lezana, p. 2, cap. 10, a n. 65. Anton. a Spiritu Sancto in direct. Regul. tom. 1, disp. 1, sect. 4, n. 219. Villalobos, part. 2. tract. 35. diff. 6, n. 9. Nidus, loc. cit., cap. 5, part. 4, n. 1 et 10, et alii passim. (37. Et hujusmodi privilegia respectu injuriarum, quæ fiunt servis, familiaribus, Syndicis et Procuratoribus, in quantum talibus reduplicative, certum est non esse abrogata, quia non continent nisi id, quod est de jure communi decernente, quod injuria facta servo, familiari, aut cuique in principalem redundet; qua de causa Conservator Ecclesiæ cognoscere potest, cum injuria servis Ecclesiarum illata, Ecclesiis ipsis irrogetur; c. *Ecclesiarum Servos* 69, caus. 12. quæst. 2, cap. *Nullus Judicum* 2, de foro compet. quod est generaliter verum, quotiescumque causa injuriæ servi dominum respicit; Nidus, l. c. num. 11. Passerin., l. c. n. 173, et apud ipsum Farinac. p. 3, prax. q. 103, inspect. 6, et alii.

CONSTITUTIO *Unigenitus*.

SUMMARIUM.

1. Constitutioni *Unigenitus* publice refragantibus veluti publicis peccatoribus Viaticum denegatur. — 2. Quinam publici refractarii tenendi. — 3. 4. In re dubia quam regulam sequi debeant Sacramentorum Ministri. — 5. Quibus causis edita Constitutio hæc fuerit, quantaque maturitate excusæ propositiones

(1. Constitutio *Unigenitus* tantam sibi vindicat auctoritatem, et obsequium, ut

(38. Regulares quicumque in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini ab ipsis observari, non possunt eligere Conservatores sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia. Sic expresse censuit Sacra particularis Congregatio deputata ad primum dubium conceptum his verbis: Primo, an in casu quo Episcopus præcipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, et executioni demandari, Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere Conservatores? «Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Soc. Jesu, ut Decreta aliqua Conc. Tridentini observent, ac exsequantur, illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas, Regulares exempti subiciuntur jurisdictioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere.» Nec Regulares possunt Conservatores Judices assignare, quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares in casibus, in quibus per Concilium, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subiciuntur, ut in terminis censuit dicta deputata particularis Congregatio in responsione ad secundum dubium conceptum ut sequitur: Secundo, (39. An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares prædictos in casibus in quibus per Concilium, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? Respondit, ut ad proximum, non posse. Quod utrumcumque decretum fuit confirmatum cum variis aliis ab Innoc. X, 14 Maii ejusdem anni 1648. Constit. incip. *Cum sicut accepimus*. (40. Conservatores, quando sunt Presbyteri sæculares tam in civilibus, quam in criminalibus, seu mixtis subiciuntur loci Ordinario, ut absolute respondit Sacra Congregat. Concil., in Faventina, 17 Decemb. 1667, ad quartum, apud Cardinal. de Luca, de jurisdictione disc. 4, num. 2.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De Conservatoribus anno 1743. integrum tractatum edidit P. Petrus Maria Forti Societatis Jesu. «At non multum (inquit S. M. Benedictus XIV. de Synod. Diocesan. lib. 4, c. 6, n. 4.) huic Auctori fidendum est, quoniam multis in locis, sed præsertim artic. 21 Judicium Conservatorum jurisdictionem ultra limites protendit a Sacris Urbis Congregationibus eisdem præscriptis.»

in ea damnatæ. — 6. Calumnia de sententiis SS. Augustini, et Thomæ in Constitutione *Unigenitus* damnatis a Clemente XI, et aliis Pontificibus, explosa. — 7. Decretum Concilii Provincialis Romani anno 1725, celebrati de observantia istius Constitutionis. — 8. Præcipue Constitutiones a Clemente XI, et Successoribus occasione Constitutionis *Unigenitus* editæ.

eidem publice refragantibus, veluti notoriis, ac publicis peccatoribus denegandum sit

Sanctissimum Viaticum, (1) Bened. XIV. Constitut. incip. *Ex omnibus* § 3. (2. Publici autem, atque notorii sunt refractarii, in casu, de quo agitur, quicumque per sententiam a Judice competente prolatam, rei declarati sunt, eo nomine, quod debitam prædictæ Constitutioni *Unigenitus* venerationem, obsequium, et obedientiam contumaciter denegaverint: Quicumque etiam hujusmodi contumaciæ reos se in judicio confessi sunt; ac præterea illi, qui quamvis nec a Judice condemnati, neque reatum suum in judicio confessi fuerint, nihilominus, vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscipiunt, propriam inobedientiam, et contumaciam adversus Constitutionem *Unigenitus* sponte profitentur; vel in antea vitæ recursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio, et obedientiæ, eidem Constitutioni debitæ, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum, non adhuc cessaverit. Sunt verba præcisa dictæ Constitutionis sub § 4.

(3. In re autem dubia, quam regulam sequi debeant Sacramentorum Ministri, tradit Pontifex ibid. § 8 et 9. his verbis. Hoc itaque primum advertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, Paschali præsertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Eucharistica Communio administrata fuerit; si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequitur, Sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse; nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema Sacramenta requirit, aliquid commississe noscatur, quo publici, et notorii peccatoris notam, juxta præmissa, contraxerit.

(4. Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validæ adversus ægrotum præsumptiones, et indicia gravia, et urgentia militent, ob quæ abortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotum alloqui, eique cum omni lenitate, et mansuetudine, non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ et qualia sint indicia, quæ suspectum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum, et obsecrantes, ut respiciat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeterna ipsius salutis sors pendet; eidem præterea demonstrantes, quod quamvis ipsi parati sint Sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, non ideo tamen tutus

(1) Hæc Constitutio, cujus initium *Unigenitus Dei Filius* a Clemente XI fuit edita mense Septembris 1713. In ea Paschalis Quesnellii Presbyteri Oratorii centum et una propositiones damnantur; quas in sua Novo Testamento Gallico idigne verso, et mo-

FERRAR. II.

ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi, et horreni criminis reum se conficiat, ex quo judicium sibi manducavit, et bibit: Cæterum se non alia de causa Sacramentorum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi, ut Ecclesiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate, ægroti ipsius infamiam præcavere studet, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoscit. Hæc ille § 8 et 9. citatæ Constitutionis merito integraliter perlegendæ, et observandæ.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA

(5. Quæ causæ Clementem XI. ad istam Constitutionem, quam legere poteris verb. *Propositiones damnatæ* num. 34. edendam impulerint, quantaque maturitate propositiones in ea damnatæ excusæ fuerint, narrat accuratissimus Petrus Polidorius de vita et rebus gestis Clementis XI. lib. 4, num. 36. scribens: «Præterito cadente sæculo Luteiæ Parisiorum opus gallico sermone scriptum, variisque diffusum voluminibus vulgatum fuerat, morum doctrinam e sacris novi Testamenti libris variis animadversionibus, et scholiis exponens: quod alibi nativo descripto titulo meminimus, nullum id præstignabat Auctoris nomen, audiebat tamen, eratque (ut in superiori libro obiter notatum) Paschalis Quesnellii qui in Parisiensi natus Diocesi Presbyterorum cœtui Oratorii Domini Jesu constituto a Petro Bercello, postea Cardinale, nomen dedit, Ingenium intemperans opinandi confidentia fovens, vel primis literariis in vulgus emissis foetibus, triste futuri præsigium expressit. Damnata ab Ecclesia Jansenianæ doctrinæ addictus, eam vafre, ac quo potuit modo lectoribus obrusit, dilavit etiam provexitque. Hinc gravis illa, qua in Galliis, et Belgio apud Orthodoxos premebatur invidia, miserum in modum designato nuper opere gallico in remotis quoque Christiani Orbis regionibus aucta. Magna profecto admiratio Clementem subit, et admirationi non impar successit dolor, tot tantosque errores uno nec admodum grandi libro coacervatos esse, atque fallaci prorsus arte non ad Ecclesiæ solum, sed et ad civilis reipublicæ perniciem accommodari: inspirato, scilicet sensim Christianis populis sub speciosa virtutis larva tam sacræ, quam profanæ potestatis odio, atque contemptu. Quod ipse gravi ad Ludovicum Gallorum Regem data epistola, totidem fere verbis est questus perpetuis dignum tenebris opus præstigiis doctrinis improbis passim permiscens jam tum damnaverat Pontifex. Quoniam vero non deerant in Galliis, qui velut nullo fœdatum errore commendabant aliis,

ralibus animadversionibus adnotato, disseminaverat. Propositiones damnatæ ad quinque vel sex errorum capita reducuntur jam contra Bajum et Jansenianæ Pontificum auctoritate damnatæ. (Edit. Casin.)